



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd studio & opera Dioscori & Chrisaphij effectum est, vt vesanum
Ephesi conciliabulum congregatur. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

or, inquit, dominum nostrum antequam diuinitas cum humanitate coniungeretur, ex duabus fuisse naturis: at post harum rerum coniunctionem, vnam solum naturam in eo extitisse affirmo. Idem etiam corpus domini non ex eadē substantia cum nostro corpore constare asseruit. Abdicatur igitur sacerdotio: & tamen cum Theodosium pro se ipse orauisset (libellos enim contra ipsum à Flauiano falsò confictos dixit) primum concilium Constantinopoli ex finitimis episcopis ad eam rem exquirendam conuocatur: à quo in Flauianum, & ab alijs quibusdam ecclesiarum præsidiis accuratè inquisitū est. Ac libellis, quod veri esset, confirmatis, alterum Ephesi celebratur concilium.

Quòd studio & opera Dioscori & Chrisaphij effectum est, vt vesanum Ephesi conciliabulum congregaretur. Cap. X.

Huius concilii Dioscorus, qui in Alexandria episcopatu post Cyrillū successit, quò odium in Flavianum incēderetur (Chrisaphius enī, qui tū præfectus palatij fuit, hanc rem callidè molitus fuerat) præses designatus fuit: eoque Iuuenalis Hierosolymorum episcopus, qui etiā Ephesianam rexisset ecclesiam, multis ipsum comitantibus sacerdotibus commeauit. His accessit Dominus, qui Ioanne mortuo Antiochiæ creabatur antistes: Iulius præterea, qui locum suppleuit Leonis, antiquæ Romæ episcopi. Aderat quoque Flavianus, cum suis episcopis. Theodosius ista quæ sequuntur Elpidio mandauit. Qui antehac iudicium de Eutyche religiosissimo abbate tulerunt, intersint concilio illi quidem, & quietè se gerant, & iudicandi authoritatem nullam habeant, sed communem omniū sanctissimorum patrum sententiam expectent: quandoquidē ea, quæ fuerunt ante ab illis iudicata, iam excutiuntur. In hoc concilio Eutyches à Dioscoro, ac suis episcopis abdicatione liberatus fuit, sicut in actis eiusdem concilij continetur. At Flavianus, & Eusebius Dorylænsis episcopus abdicati. In eodem concilio Ibas quoque Edesseorum episcopus ecclesia interdictus. Abdicatus præterea Daniel, episcopus Carrorum, & Irenæus Tyri. Itēque Aquilinus episcopus Bibli. Nonnulla porro ibidem acta fuere
contra